hoc seculo liberê versantur, sed eorum qui in exilia abijciuntur, & in locis desertis morantur. Ac- A
cidit hoc Dauidi. Et quoniam istam humiliationem patienter propter Dominũ Deum sustinuit, ideo etiam diuinitùs est exaltatus. vnde & subijcit: *Propterea exaltabit caput*: id est, victor erit hostiũ suorum, & in sublime erigetur. Et hanc expositionem Chrysostomus etiam Christo accõmodat, super Ioannem homilia 30: Propterea, *inquit*, plurimùm in montibus versatus est, & in desertis, nõ perdius tantùm, sed & pernox. Hoc Dauid annuncians, inquit: *De torrente in via bibet*, vt eius tolerãtiam demonstraret. Idê hoc in loco significat Euangelista. *Hæc ille*. Et Græca scholia: Hoc dicitur, *inquiunt*, Nec cum fastu ingredietur, nec satellites habebit, cùm aduenerit, sed tenui ac frugali vitæ se ipse tradet, ac tali, vt de torrente sit bibiturus. Qualis enim mensa illius fuit, talis & potus. Tenuitas autem ista non solùm nihil illi nocuit, sed & eum ad inenarrabilem sublimitatem euexit.

Vers. vlt.
1. *Torrens imago tribulationum in hoc seculo.*
2. *Est tumidus.*
3. *Est rapidus & violẽtus.*
1. *Sed est iuxtà potus, non domesticus, sed itinerarius.*
2. *Non perpetuus, sed citò desinens. Non enim ex fontibus perpetuis, sed imbribus & niuibus aquas habet.*

De torrente in via bibit.] Obseruandum est hoc loco, quàm non debeamus despondere animum, etiamsi eousque abijciamur in hoc seculo, vt ex torrẽtibus bibere cogamur, dum interea impij calicibus plenis optima vina bibunt. Fuit hęc sors Eliæ, fuit Dauidis, fuit ipsius Christi: deinde magis hoc ad gloriam Dei facit, vt ex huiusmodi humiliatione suos ad sublimia euehat quàm si alioqui sublimes in hoc seculo exaltaret. Sic igitur consilium Dei est, vt prior sit humiliatio, posterior glorificatio: præcedat captiuum depressio, sequatur exaltatio. Hanc rationem perueniendi ad veram sublimitatis gloriam, non agnoscit caro nostra: quæ instinctu satanæ cum primis appetit rerum fastigia & viam humilitatis studiosissimè fugit. Cogitemus itaq; de exemplis istis Dauidis & Christi, quotiescunq; ad inanis gloriæ studium sollicitamur.

Obseruemus & illud, quàm competenter non simpliciter dicat, *De torrente bibit*: sed, *De torrente in via bibit. Torrens* potus est eorum, qui sunt in itinere, non eorum qui domi agunt. Rectè. Sic peregrinantibus bibendum est è turbido præsentis vitæ torrente, è calice tribulationis: in futuro verò nectar immortalitatis dabitur.

PSALMVS CXI.

ARGVMENTVM PSALMI.

HOC Psalmo Vates primùm opera illa Dei, quibus fœderis sui memor, Israelem ex Aegypto magnis portentis liberavit, & in terras gentium hæreditariò possidendas induxit: deinde mandata quoq; & statuta illius, quæ populo suo proposuit, ad hoc celebrat & extollit, vt animi fideliũ ad observãtiam illius excitentur. Sunt autem versus huius Psalmi, quemadmodum & sequentis, ad ordinem alphabetarium sic digesti vt & capita singulorum, & hemistichia ab elementis Ebraicis ex ordine incipiant: sic B
tamen, vt duo postremi versus trimembres sint, & singula illorum membra literis alphabetarijs inchoẽtur. id quod non est levitate aliqua, sed ad iuvandam memoriam rudiũ ac simplicium factum: quibus isti Psalmi sic sunt propositi, vt discerentur, ac iugi memoriæ mandarentur. id quod & de reliquis censendum esse iudico, qui consimilem sunt structuram alphabetariam sortiti.

VERS. 1. HALLELVIAH. א *Laudabo Dominũ toto corde:* ב *in consilio rectorum & congregatione.*
2. ג *Magna opera Domini:* ד *exquisita omnibus appetentibus ipsa.*
3. ה *Gloria et splẽdor, et opus eius,* ו *et iustitia eius pmanet in sẽpiternũ.*
4. ז *Memoriã fecit mirabilib. suis:* ח *clemens & misericors Dominus.*
5. ט *Prædam dedit timentibus se,* י *recordatur in seculum fœderis sui.*
6. כ *Virtutem operum suorum monstravit populo suo:* ל *ad dandum illis hæreditatem gentium.*
7. מ *Opera manuum eius fides & æquitas:* נ *fidelia sunt omnia mandata eius.*
8. ס *Confirmata sunt in sempiternum: in seculum* ע *facta sunt in fide & æquitate.*
9. פ *Redemptionem misit populo suo:* צ *mandavit in seculũ fœdus suum,* ק *sanctum & terribile nomen eius.*
10. ר *Principium sapientiæ, timor Domini,* ש *intellectus bonus omnib. facientibus ea:* ת *laus eius permanet in sempiternum.*

LECTIO. *Laudabo Dominum.*] Ebr. אודה יחוה: id est, *Laudo*, vel *celebrabo Dominum*. Græc. reddidit, ἐξομολογήσομαί σοι Κύριε. Vulg. Lat. *Confitebor tibi Domine*. Sic & Arabs: *Laudabo te Domine*. Chaldæus: *Laudabo coram Donino*.

Vers. 1.

In consilio rectorum.] Ebr. בסוד ישרים: id est, *In secreto rectorum*. Sic verterunt Iustinianus & Pagn. Græcus, ἐν βουλῇ ἀνθέων: id est, *In consilio rectorum*. Hieronymus & vulgata Latina: *In consilio iustorum*. Sic & Arabs. Quoniam autem Vates *secretum rectorum*, pro *consessu secretiore* posuit, verti, *Consilium rectorũ*.

Vers. 2.

Exquisita omnibus appetentibus ipsa.] Ebr. est דרושים לכל חפציהם. Græc. & vulg. Lat. *Exquisita in omnes voluntates eius*. Hieron. *Exquirenda in cunctis voluntatibus suis*. Felix: *Exquisita ab omnibus capientibus ea*. Tigurina: *Quæ inquiruntur ab omnibus qui delectantur ipsis.*

Vers. 3.

Gloria & splendor, opus eius.] Ebr. הוד והדר פעלו. Græc. & vulg. Lat. *Confessio & magnificentia, opus eius*. Chald. *Laus & pulchritudo, opus eius*. Hieron. *Gloria & decor, opus eius*. Sic & Pagninus. Felix & Iustinianus: *Confessio & decor, opus eius.*

Prædam